



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XLII. De Fratere contra Fratrem intentante actionem in factum ex
Edicto Prætorio de alienatione Judicii &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

momento scientiæ, vel cessantis
impedimenti, quia incipiebat currere
tempus completo anno 25. ætatis, ut
constat ex *citt. l. ult. § l. 18.* sed uti-
lis tantum erat in decursu, quod non
curreret in feriis, quibus Judex adiri
non poterat: ergo neque quadrienni-
um hodie concessum debet esse utile
inimò, sed statim incipit 25. ætatis an-
no inimò, non obstante ignorantia
facti: quamvis in decursu non sit u-
tile in dicto sensu, sed currat etiam in
diebus nefastis, seu feriis, juxta no-
vam constitutionem.

Ad VI. N. *Conf.* Quamvis enim
de rebus tantum loquatur de igno-
rantia Juris, minimè tamen excludit
ignorantiam facti, sed abstrahit: ergo
minimum est argumentum à contra-
rio petitur. Argumenta nostra pro-
bant etiam de ignorantia facti, quod
nocet, nec impedit præscriptionis
firmam.

Ad VII. N. *Maj.* Est enim introdu-
cta propter bonum & quietem publi-
cam, ut tollantur lites, & dominia
ac jura sint certa. *l. properandum.*
*l. 1. ff. de usucap. citt. l. ult. ff. pro
suo.*

Ad VIII. Sicubi praxim vigere con-
vincenter probetur, eam observari
necesse erit: metuo tamen, ne in
quibusdam locis, ubi olim praxis,
communi sententiæ contrariæ innixa,
viguit, post recentiorum Scriptorum,
qui Jura meliùs rimati sunt, fundamen-
ta melior juribusque & rationi con-
formior praxis introducta sit in tribu-
nalibus. Neque rectè pro contraria
praxi allegatur *Myns. Cent. 1. observ.*
51. (iste enim locus allegatur) ut
patebit inspicienti: id quod fortassis
etiam apud alios, qui tanquam te-
stes contrariæ praxis adducuntur, con-
tingit.

TITULUS XLII.

De Alienatione Judicii mutandi causâ
facta.

DECISIO XLII.

De Fratrem contra Fratrem intentante actionem in
factum ex Edicto Prætorio de alienatione Judicii &c.

Rara est concordia Fratrum, ait
communis paræmia, præsertim,
quando agitur de meo & tuo. Joan-
(R. F. Pichler Decisiones.)

nes & Paulus, duo agricolæ germa-
nicæ fratres, diu altercabantur de a-
gro aliquo, quem Paulus possederat,
F f Joan-

Joannes verò prætenderat tanquam suum. Joannes aliquoties propterea adiit celebrem Advocatum consilii causâ: quod cum adverteret Paulus, litem sibi movendam à fratre metuens, ut fratri conditionem & litem faceret durior, nequiter hunc agrum vendidit potenti Principis Territorialis Mi-

nistro. Quæ res malè habuit Joannes, atque ideo Advocatum memoratum denuo accessit, rogans, quid facturus vel consultum sit. Is suavit, & etiam ipso opere instituit pro suo clientelæ actionem in factum ex Edicto Prætorio seu ex *l. 1. § 8. ff. de alienat. Jur. mut. caus.*

QUÆRITUR.

An bene?

Quòd non, colligitur I. ex illo Juris principio, quòd remedium extraordinarium non habeat locum, ubi datur ordinarium: sed Joanni competit contra fratrem remedium ordinarium, scilicet actio in rem utilis, quæ de Jure competit adversus eum, qui dolò possidere desiit. *l. qui dolo. 131. l. parem. 150. ff. de R. J.* qualiter in præfenti Paulus possidere desiit agrum vendendo: e contra hæc actio in factum est remedium extraordinarium, quo Prætor succurrit lælo per alienationem ex causa judicii mutandi factam, eum restituendo in integrum quoad interesse & damna inde secuta: ergo hæc actio non competit Joanni, & est superflua. II. Contra eum, qui rem litigiosam alienavit, præsertim in potentiorum adversarium, dantur jam alia remedia Juris meliora ex *tit. De litigiosis*, & ex *tit. Ne liceat potentioribus*: ergo superfluum est remedium, quod arripitur ex *b. t. de alienatione* &c. III. Cuius licitum est res suas alienare quomodocunque. *l. 2. ff. si quis*

à parente; cum quilibet rerum suarum arbiter sit *l. 21. C. Mandati*: ergo etiam licuit Paulo agrum suum alienare judicii mutandi causa.

Quòd sic, videlicet bene instituta esse actionem in factum, ut nobis detur, evincitur ex *l. 1. 3. § 8. ff. de alienat. Jur. mut. caus.* ubi Prætor pollicetur & concedit actionem in factum, nisi res restituatur pristinum statum, qua conveniri potest alienans, ut restituatur vel res in antiquum statum, vel satisfaciatur quantum illius interest rem alienatam non esse in duriorum adversarium. *Text. & DD. in ll. cit.* Giphani in *l. 1. C. b. t. Gonzalez ad c. 2. cod. X. n. 17.* dicit, ita omnes sentire. Verò hæc actio in *l. 6. ff. eod.* dicitur tantum durare per annum utilem tamen quia hodie in *l. fin. C. de temporib. in integr. resit.* annus utilis quadriennium ad petendas restitutiones in integrum mutatus est, etiam in hac quadriennium concedi dicitur Duarenus in *præsenti*.

Opposita vim non habent. Non licet enim læsus habeat actionem in rem adversus alienantem, si à possessore rem avocare non possit, adversus quem habet actionem in rem directam. *l. un. C. b. t.* tamen propterea non privatur remedio extraordinario actionis in factum, quia licitum est in præsentia remedii ordinarii adhibere extraordinarium, si tendunt ad fines diversos, & extraordinarium est pinguis: sed tendunt ad diversos fines, quia actio in rem ad rei perfectionem, actio in factum ad interesse, damna, & expensas resarciendas: quod adeò verum est, ut etiam post rei persecutionem & evictionem a possessore, cum quo actor experiebatur actione reali seu rei vindicatione, possit postea actionem in factum in sumere contra alienantem etiam quoad expensas illas, quas facere debuit

propter duriorem adversarium, & quod plus est, licet in Judicio à possidente fuisset victus: quas expensas ratione durius domini factas, & casu, quo causâ cecidisset contra possidentem, quia repetere non posset instituta actione in rem, apparet, quòd actio in factum etiam sit remedium pinguis. Non II. Quia illa remedia spectant & irritant alienationem rei jam litigiosâ, & lite jam coepta factam, hæc autem actio in factum alienationem spectat (non irritat) factam ante litem, quæ primùm movenda timetur. Non III. Quia per hanc actionem in factum non impeditur alienatio rei ex causa judicii mutandi, non enim eò tendit, ut alienatio rescindatur, sed tantum propter dolum alienantis læsus repetit expensas, & interesse, seu in quantum interest læsi rem alienatam non esse.

TITULUS XLIII.

De Arbitris.

DECISIO XLIII.

De Appellante à Laudo Arbitri.

SPECIES FACTI.

Sulpitius ex Canonico Ecclesiæ Collegiæ S. Viti factus Decanus præter aedes Decanales, quas modò incolit quâ Decanus, volebat retinere

priorem domum Canonicaem, eamque pro censu annuo elocare sæcularibus, simulque restaurationem redituum Decanaliū, quos ante sæcu-

ff 2

lum